



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Beneficiorum Ecclesiasticorum Natvra, Ereptione, Qvalitatibvs Ad Ea Obtinenda Requisitis ...

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

1. Qualiter definiatur benecium ecclesiasticum stricte acceptum.
-

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74477)



FORI BENEFICIALIS

PARTIS PRIMÆ

SECTIO PRIMÆ.

De Beneficiorum Ecclesiasticorum in genere naturâ, origine, erectione, divisione in species, & harum singularum conditionibus & qualitatibus.

CAPUT PRIMUM.

DE BENEFICII ECCLESIASTICI NATVRA, ORIGINE, ERECTIONE.

PARAGRAPHVS I.

Datur & explicatur definitio beneficii.

Quæres primò: qualiter definiendum Beneficium Ecclesiasticum, prout in rigore accipitur à Canonistis?



Espondeo: quòd sit jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis Ecclesiæ, ratione spiritualis officii auctoritate ecclesiasticâ constitutum. Less. *de jure & just. l. 2. c. 34. n. 1.* Laym. *theol. mor. l. 4. tr. 2. c. 1. n. 1.* Barb. *de jure Eccles. l. 3. c. 4. n. 8.*

Quæres secundò: quid importet tò jus?

Espondeo: importare primò potestatem legitimam, quæ est incorporeum quid à re ipsa, ad quam datur, distinctum; unde & beneficium inter res incorporeas numeratur. Lott. *de benef. l. 1. q. 3. n. 3.* Laym. *l. c.* Secundò ipsam rationem formalem beneficii; nam neque ipsi fructus percipiendi, utpote quid merè temporale, sunt beneficium; neque ipsum officium seu ministerium spirituale, illiùsve exercendi obligatio aut potestas, utpote quæ sunt solum fundamentum & causa, ob quam conceditur facultas illa percipiendi fructus. Less. *l. c.* & ex eo Castrop. *tr. 13. d. 1. p. 1. n. 2.*

P. Leuren. *Fori Benef. Pars 1.*

Quæres 3. an & qualiter hoc jus sit spirituale?

Espondeo: esse spirituale, non in se formaliter (est enim in se proportionatum rei, ad quam datur, seu quam intrinsecè respicit, nempe fructibus percipiendis) sed solum in radice, seu spiritualitatem participare unice per accidens, & per respectum ad ministerium in se spirituale, jusque exercendi hoc ministerium itidem simpliciter intrinsecè spirituale, cui annectitur. *c. dilecto. de prob. D. Th. 2. 2. q. 100. a. 4. Barb. n. 8.* Consequenter quoque, non verò antecedenter ex eo hoc jus censetur spirituale, quòd tam in recipiente, quam conferente supponat Clericatum; ideo namque possideri nequit, & conferri à laico, quia aliunde spirituale est. Garc. *1. p. c. 2. n. 6. 28. & 34.* Porò num ex eo, quòd principaliter & in se hoc jus sit quid temporale, rectè inferatur (ut contendit Garc. *n. 8.* & *seq.* citans plures alios) vendere beneficium esse simoniam non nisi juris humani, prohibentis venditionem illorum, quæ similem connexionem & respectum dicunt ad spirituale, videbitur alibi.

Quæres 4. quid importet tò perpetuum?

Espondeo primò: eam perpetuitatem intelligi, requiri, & sufficere ad rationem beneficii, quæ inest ipsi huic juri seu beneficio, quatenus hoc semel auctoritate prelati Ecclesiastici constitutum, manet semper, ita ut sublatum ab uno sive voluntate superioris, sive per mortem possessoris non pereat, sed vacet, remaneatque alteri conferendum, secus ac contingit in pensione, quæ cum

A

pen-